

O R A T I O

ANONYMI CUJUSPIAM EPISCOPI

H A B I T A

I N S Y N O D O R O M A N A

Anno Christi 864.

Quod vestra Deo digna Paternitas, ac in Christo diligenda Fraternitas in unum hodie convēnit, imensas omnipotenti Deo grates referimus, quia in tanto venerandorum Patrum, discipulorumque Christi Collegio nihil aliud enixius tenendum fore existimamus, nisi quod & divinæ placeat Majestati, & ad sanctæ Dei Ecclesiæ statum & exaltationem profus attineat. Præcipue cum Veritas dicat. *Ubi duo, vel tres congregati fuerint in nomine meo, ibi sum in medio eorum.* Et Psalmographus: *Ecce quam bonum, inquit, & quam jucundum habitare Fratres in unum.* Quod cum ita sit, humili prece deposcimus, ut nos, qui minimi sumus omnium vestrum, si ea fortè scriptis, aut verbis protulerimus, quæ reprehensione digna sunt, fraterno corripatis & instruat affectu. Quoniam in his, quæ Divinis apta probantur mandatis, & mysticas Sanctorum Patrum non violant sanctiones, vos sequi parati sumus, & in nullo à vestris salubribus disciplinis ac monitis dissentire. Tamen quid nos de quibuslibet Clericis, qui à sancta & prima Sede Apostolica damnantur, sentiamus, breviter ad vestram divinitus inspiratam reducimus memoriam. Scitis enim melius ipsi, quia præ omnibus Christi Ecclesiis per potestatem Beatissimi Petri Apostoli sancta Romana Ecclesia obtinet Principatum, ita ut illa suo cuncta judicio comprehendat, & de ejus nemini judicare judicio liceat. Siquidem, ut arbitramur, non interim tamen testificamur, nullus ab ea depositus est restauratus; & si forsitan est, non utique indiseret. Quia Christus futurorum præsciis optime quidem præcivit, minime in Sede Petri Apostoli sui fore sessurum Pontificem, qui injustè judicaret, aut deponeret quemquam, quem oporteret justè postmodum restaurare. Ad quod pertinere potest hujus Ecclesiæ vox, quam per Apostolum cognovistis. *Si hæc, quæ destruxi, iterum reedifico, prævaricatorem me constituo.* Beatus autem Papa Gelasius in Epistola ad Episcopos per Dardaniam constitutos inquit: *Sed nec illa præterimus, quod Apostolica Sedi frequenter, ut dictum est, more majorum etiam sine ulla Synodo præcedente exsolvendi, quos Synodus iniqua damnaverat, & dammandi, nulla existente Synodo, quos oportuit, habuerit facultatem.* Sancta memoria quippe Athanasium Synodus Orientalis addixerat, quem tamen exceptum Sedes Apostolica, quia damnationi Græcorum non consensit, absolvit. Sancta memoria nihilominus Johannem Constantinopolitanum Syno-

A *lus etiam Catholicorum Præsulum certè damnaverat, quem simili modo Sedes Apostolica etiam sola, quia non consensit, absolvit.* Ecce non quos ipsa Sedes, sed quos iniqua, vel æqua Synodus damnaverat, resolvisse refertur. Item illic: *Nec planè tacemus, quod cuncta per Mundum novit Ecclesia, quoniam quorumlibet sententiis ligata Pontificum Sedes B. Petri Apostoli jus habeat resolvendi, utpote quæ de omni Ecclesia fas habeat judicandi, neque cuiquam de ejus liceat judicare judicio.* Siquidem de qualibet ad illam Mundi parte Canones appellare voluerunt, ab illa autem nemo sit appellare permissus. Et infra: *Ut ergo, inquit, sola jus habuit absolvendi eos, quos Synodica decreta perculerant, sic etiam Synodo in hac eadem causa plurimos etiam Metropolitanos damnassee cognoscitur.* Item ipse Sanctus Papa Gelasius in Commonitorio, quod Faustio Magistro fungenti Legationis officio Constantino- poli dedit, ita scribit: *Ipsi sunt Canones, qui appellationes totius Ecclesiæ ad hujus Sanctæ Sedis examen volvere deserri; ab ipsa verò nunquam profus appellari debere sanxerunt. Ac per hoc illam de tota Ecclesiâ judicare, ipsam ad nullius commere judicium, nec de ejus unquam præceperunt judicio judicari; sententiamque illius constituerunt oportere dissolvi, cujus potius sequenda Decreta mandarunt.* Hi enim si talia in Sacerdotio positi commiserunt, qualia si ante Sacerdotium vel Clericatum committerent, ad Clericatus officium non promoveri debuerant, quomodo nunc restaurari post lapsum debeant non advertimus. Quibus secundum Apostoli Petri vocem melius erat non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti ab eo, quod illis traditum est, sancto mandato. Possunt enim per hoc exemplum homicidæ, & adulteri vel ceteri nec ipsa fortasse communionis gratia digni quantum ad nefas attinet, restaurari. Unde non solum generalis Ecclesiæ, & Petri specialiter privilegii vilescit auctoritas, verumetiam multifariæ occasionis dilatatur iniquitas.

B

C

D Igitur Apostolica Sedes juxta illud, quod in Epistola Sancti Papæ Leonis ad Pulcheriam Augustam legitur, *severius agit cum obduratis, & veniam cupit præstare correctis.* Quia & omnipotens Deus, ut alia nunc omitamus, Petrum lachrymantem suscepit, & peccantibus Angelis non pepercit. Cujus exemplo Discipuli ejus, & ovium suarum Pastores edocti eos, qui solvendi fuerant, absolverunt, & ligandos vel condemnandos, ut prætulimus, perrenniter, non solum præsentialiter, sed & ab-
sentialiter ligaverunt, ac damnaverunt. Denique